

Quam male sentiant Aristotelici de materia prima. 45
non sunt, & ideo Metaphysica esset scientia plane chimærica , siquidem non tractaret nisi de chimæris. Quam Metaphysicæ contumeliam ferre non valens Palancus accumulat multa D. Thomæ testimonia demonstrantia Metaphysicam esse maxime realem , maxime nobilem , maxime necessariam omnium scientiarum ; ac deinde suum Atomistam alloquitur his verbis, *ista (testimonia) si legis-
ses, inde disceres sine Metaphysica vera & prima rerum
principia disci non posse, & consequenter nec principia pri-
ma Mundi corporei & entis naturalis, qua sunt principia
Philosophia, &c.*

physicas fo-
re chimæras

Dial. 60. n.

523.

R O C C H I U S. Absit, mi Pazzi , absit ut quod vestri Metaphysici peccant , id Metaphysicæ tribuam : non illius , sed vestra culpa est , quando plures metas intelligibilitates unius rei , distinctius cognoscendæ , & ideo plurimum instar rerum per plures conceptus consideratae , admittitis pro rebus pluribus rem unam componentibus . Considerate in rebus singulis quotquot perfectibilitates & perfectiones vult & jubet Metaphysica considerari pro rebus illis singulis distinctius cognoscendis ; sed cavete tum ne non-res instar rerum conceptas affirmetis res esse : sicutque tolletis à Metaphysica vestra non illius chimæras , sed vestras . Si quot sunt intelligibilitates unius rei , tot essent in ea res , nulla posset assignari quæfœta non esset mille alias & ex istis mille nulla rursus quæ suo in sinu mille alias non haberet : quem progressum si Metaphysica permitteret , nunquam ad illius rei prima principia perveniret . Sed si ne modò ut obtemperem Philalethi , qui jubet ut fiat sermonis transitus ad compositionem realem ex substantia & accidentibus , quam Palancus opponit in singulis entibus creatis etiamque spiritualibus reperiiti , & eo magis reperitum iri nostris in atomis .

XXXV:
Chimæras
non Meta-
physica , sed
mens Meta-
physicorum
quandoque
habet.

P H I L A L E T H E S. Mihi sane longum erat audire te de compositione ista , quæ mihi quidem est omnium